OFFICIUM S. THOMAE DE VILLANOUA ORDINIS EREMITARUM S...

Chiesa cattolica

Digitized by Google

Die xviij. Septembris.

IN FESTO
S. THOMÆ
DE VILLANOVA
CONF. PONT.

SEMIDVPLEX,

Omnia de Communi Confeſſoris Pontif. præter Antiphonas ad Magnificat, & Benedictus, Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.

Antiph. in vtriſq. Veſperis. Diſperſit, dedit pauperibus; iuſtitia eius manet in ſæculũ ſæculi. *Pſ.* 111.

Oratio.

DEus, qui beatum Thomam Pontificem inſignis in pauperes miſericordiæ virtute decoraſti, quæſumus, vt eius interceſſione in omnes, qui te deprecantur, diuitias miſericordiæ tuæ benignus effundas. Per Dominum &c.

Lectiones primi Nocturni de Script. occurr.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iiij.

THOMAS in Oppido Fontiſplani Toletanæ diœceſeos in Hiſpania natus anno Domini milleſimo quadringenteſimo octogeſi-

mo octauo, ab optimis parentibus ineunte vita, pietatem, & ſingularem in pauperes miſericordiã accepit; cuius adhuc puer cõplura dedit exempla, ſed illud in primis nobile, quod vt nudos operiret, proprijs veſtibus non ſemel ſe ipſum exuit. Exacta pueritia, Compluto, quò miſſus fuerat, vt litteris operam daret, patris obitu reuocatus, vniuerſam hæreditatem egenis virginibus alendis dicauit, eodemque ſtatim profectus eſt, vt curriculum ſacræ Theologiæ conficeret: interim aſsiduis precibus ſcientiam Sanctorum, & rectam vitæ, morumque normam à Domino vehemẽtiſsimè poſtulans: quare diuino inſtinctu Eremitarum S. Auguſtini amplexus eſt inſtitutum.

Lectio v.

Religionem profeſſus, omnibus religioſi hominis virtutibus, & ornamentis excelluit: humilitate, patientia, cõtinentia, ſed ardentiſsima charitate ſummè conſpicuus: inter varios, & aſsiduos labores orationi, rerumque diuinarum meditationi inuicto ſpiritu ſemper intentus. Prædicandi onus, vtpote ſanctimonia, & doctrina præſtans, ſubire iuſſus, cæleſti aſpirante gratia, innumerabiles è vitiorum cœno in viam ſalutis eduxit. Regendis deinde fratribus admotus, prudentiam, æquitatem, & manſuetudinem, pari ſedulitate, ac ſeueritate coniunxit, adeò vt priſcam ſui Ordinis diſciplinam multis in locis, vel firmauerit, vel reſtituerit.

Lectio

Lectio vj.

GRanatenſis Archiepiſcopus deſignatus, mira humilitate, & conſtantia inſigne munus reiecit. Verùm non multò poſt, Valentinam Eccleſiam, Superiorum auctoritate coactus, gubernandam ſuſcepit; quã annis ferme vndecim ita rexit, vt ſanctiſsimi, & vigilãtiſſimi Paſtoris partes expleuerit. Cæterùm cõſueta viuendi ratione nihil admodum immutata, inexplebili charitati multò magis indulſit, cùm amplos Eccleſiæ reditus in egenos diſperſit, ne lectulo quidem ſibi relicto; nam eum, in quo decumbebat, cùm in cœlum euocaretur, ab eodem commodatum habuit, cui paulò ante eleemoſynæ loco donauerat. Obdormiuit in Domino ſexto Idus Septembris, annos natus octo & ſexaginta. Serui ſui ſanctitatem adhuc viuentis, & exinde poſt mortem miraculis Deus teſtatam voluit, præſertim, cum horreum frumento pauperibus diſtributo penitùs vacuum repentè plenum inuentum eſt: & cum ad eius ſepulcrum puer mortuus reuixit: Quibus, alijſque non paucis fulgẽtem ſignis, Alexander Septimus Pontifex Maximus Sanctorum numero adſcripſit; atque eius memoriam quarto decimo Kalendas Octobris celebrari mandauit.

IN III. NOCTVRNO.

Homil. in Euangel. Homo peregrè proficiſcens.

Vt in Communi Confeſſ. Pontif.

Antiph. ad Benedictus. Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sãctorum. *Eccl. 31.*

Miſſa

Miſſa de Communi Conf. *Pontif.* Statuit ei Dominus.

Cum Oratione propria, & *Euangel.* Homo peregrè proficiſcens.

Viſas, ac maturè perpenſas Orationem, Lectiones, & Antiphonas ſupradictas ſacrorum Rituum *Congregatio die 14. Iunij 1659. approbauit; easque Sanctiſſimus in Breuiario, & Miſſali Romano inter Officio; & Miſſas ad libitum recitandas, & celebrandas imprimi mandauit; pariterque ad libitum ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, tum Sæcularibus, tum* Regularibus *die decima octaua Septembris, feſto S. Thomæ de Villanoua, cum reliquis de communi Confeſſoris Pontificis, ſub ritu ſemiduplici recitari, ac celebrari poſſe conceſſit. Die 17. eiuſdem menſis Iunij, eodemque anno 1659.*

I. Epiſc. Sabinen. Card. Sacchettus.

Loco † ſigilli.

Franciſcus Maria Phœbeus Sac. Rit. Congreg. *Secr.*

99 95578